



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Murmuratio sororis Moysis, qualis fuerit, vt lepram mereretur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Sed verosimilius Theodoretus ait, domos aut vestes olim non dictas fuisse tantum idcirco leprosas, quod vapores noxios & contagiosos haberent, & homines inficerent; sed quod ipsa infecta, non secus ac homines eroderentur. Constat enim, Deum olim, dum peccarent Iudaei, lepram hanc infligere solitum vestibus, aut domibus eorum, ut per eam possessores ad sanitatem mentis reuocaret. Quia igitur lepra haec non tam naturalis fuit, quam plaga à Deo immissa, videtur fuisse qualitas quaedam corrosiva (qualis est in sale, nitro, vitriolo, quae vestes & stannum, & ferrum exedunt) vel corruptiva solis Iudaeis propria, alijs Gentibus ferè incognita. Vbi enim, aut quae nunc vestes, qui parietes leprae non faciendae, sed etiam patiendae sunt capaces? Capaces fuerunt vestes & parietes Iudaeorum. Vnde monstruosa res fuit illa lepra. Certè nunc lepra proprie non se diffundit à leproso in vestes, vel domum eius, oporteret enim omnes leproso vestes arrodi, & putrescieri. Esto autem, sicut pestis vesti aut domui adhæret, eamque reddit homini pestilentem, dum ex ea vapores pestilentes contrahit, haud tamen vlla pestis vesti vel domui ita inhæret, aut ita eam inficit, ut illam consumat & interimat. Igitur lepra nunc non inhæret, sed adhæret tantum vesti, aut domui, neque eam facit leprosam formaliter, ut olim, sed tantum causaliter, quia eam homini afflare potest. Quanquam autem etiam nunc aliquam subinde cariem in lignis, calce & lapidibus reperimus; non tamen ea est talis lepra, quae novos quoque solidosque lapides inuadat, erodat & absumat, ut olim lepra Iudaica. Vnde iussi sunt omnes lapides lepra infecti ex domo eximi, & noui substitui, qui si postea lepra infecti inuenirentur, jubebatur domus dirui; adeo etiam muri tunc ipsi leprosaliter, ut ita dicam, ægrotauerunt.

Quid leproso deformius? immo, si lepra est monstrum, quid monstruosius? Horrorem hunc Mundi moderatores, in Iudaeis ostendit, ut peccatum, causam illius, horreamus. Est enim peccatum animae lepra, maximeque illud, quod lepra legitur fuisse punitum. Murmurauit contra Moysen soror, & lepra percussa est. Appositè, ita culpa & poena congruebant.

Eccce 2

Quippe

Theodoretus
q. 17. in Leuit.
c. 13.

VI
Leuit. 14. 44.
Ita fere Cornel.
à Lapid.
in Leuit. c. 13.

III.

Lcuit. 13.

S. Ephrem de morbo linguæ.

Quippe murmuratio instar lepræ serpit, & inficit totum ali-
quod corpus communitatis. Qua de causa sicut leprosi olim
iussi sunt e castris eijci, & habitare seorsum, ita eiecta est e ca-
stris murmuratrix Maria; ita SS. Patres, & Religionum fun-
datores statuerunt, ut e coetibus sacris murmuratores separa-
rentur. *Ex teterrima Maria Prophetissa lepra docemur, ait S. Ephrem, quàm graue & detestabile vitium sit obtreclatio. Corpus, quod lepra infectum cernebatur, velut speculum quoddam fuit anime, qua non perspiciebatur, cuius indicabat maculam. Ex illa carnis corruptione patefactum est, quo modo hominis detractoris corrumpatur animus. Nam sicut illa defecerat à fratre suo: ita & ab ipsa proprium corpus defecit, ut ex semetipsa charitatem addisceret. Quod si autem & ipsa Mariæ murmuratio expendatur, poterit ea leuis videri; contigit enim ob Sephoram Madianitidem, & idcirco Ethiopissam vocatam, quæ more muliebri voluit se præferre Mariæ, eò quòd esset vxor Moysis, Moysenque suum quasi populi ducem Mariæ & Aaroni prætulisset. Itaque ut muliebris sexus imbecillis est, primùm concitata Maria, deinde per hanc incitatus etiam Aaron, se erigere ceperunt, non Sephoræ tantùm, sed ipsi etiam Moyse æquantes, iactantefque, se æquè nobiles esse Prophetas, ac Moyses erat. Hæc inter sanctos illos, & Mariæ illius, cui Dominus locutus fuerat, ex æmulatione orta murmuratio lepram meruit, in diuino iudicio, & septem dierum separationem.*

IV.

Lcuit. 13.

171

Num. 12. 2.

Quid merebitur murmuratio non iam muliebris, sed vi-
rorum, & eorum, qui se doctos, qui religiosos, qui sanctos vo-
lunt haberi, & tamen re ipsa sunt arrogantes, Theones, supe-
riorum suorum censores, quibus se non æquant modò, sed
etiam anteponunt, qui rectores suos regere, & indices volunt
iudicare? hoc ipso indigni qui regant, quia regi nesciunt; sola
sua æstimatione idonei, aliorum iudicio inepti ad gubernan-
dum. Et videbis, non nisi vilissimos, & grandibus nauis ple-
nos esse suorum maiorum contemptores, censores, murmura-
tores; siquidem superbia & æmulatione cæci aiunt: *Num per
solus Moyses locutus est Dominus? nonne & nobis similiter est locu-
tus? quali Deus nesciat, quem subditum debeat facere, aut su-
periorem,*